

tione Juris, quod DEUS in creaturas actu productas, jamque existentes, non uno nomine quasi acquisivit. Utut verò ipsius non possit propter objectorum genericam varietatem & nimiam dissimilitudinem conceptus per omnia univocus haberi: potest tamen, si non accurata, saltem qualiscunqve generalis descriptio inveniri. Nimirum
JUS DEI IN CREATURAS EST FACULTAS MORALIS IN DEO,
QVA IPSE IN RES OMNES A SE CONDITAS PARTIM PROPTER SUA BENEFICIA, PARTIM PROPTER ISTARUM MALEFICIA STATUERE, ET CIRCA EAS AGERE POTEST, QVICQVID EJUS BONITATI, SANCTITATI ET JUSTITIÆ IMMUTABILI NON REPUGNAT.

CAPUT SECUNDUM.

§. 1.

AD plenè percipiendam essentiam Juris Divini, considerabimus, dum actu exhibitæ descriptionis, Sex partes, sine quarum perfectâ cognitione ista plenè intelligi non potest.

§. 2. Initiò J.D. *Formam* expressimus Facultatis moralis vocabulo, quò illorum sententia rejicitur, qui dominium formaliter in relatione consistere existimant. Importat enim vox hæc absolutam potestatem, quæ ad actus reales ordinatur. Satis clarè verò Autores prædictos refellit humani dominii consideratio, quod utiqve realis quædam perfectio & dignitas est, adeoqve non pro nudâ relatione animæ inhærente haberi debet. Et quamvis non possint, quæcunqve de homine affirmamus, proptet adhærentem imperfectionem eadem penitus ratione & univocè de DEO dici; illa tamen, quibus perfectio aliqua simpliciter denotatur, secundùm id, quod in formali conceptu suo implicant, etiam Supremo Numini competunt. Quapropter Dominium in solo quidem homine accidentarius modus & ab extrâ veniens perfectio est, DEO autem tribuitur, quatenus potestatem absolutam aliquid agendi significat, quæ cum essentiâ divinâ realiter identificatur & à potentiâ ejus perfectissimâ non differt. In quo ipso rursus alia est hominum conditio, utpotè in quibus ἐξουσία à δυναμεις sic distinguitur, ut una ab alterâ realiter separari possit. Hinc latro vires hominem occidendi, non potestatem, habet; & vicissim Principi subditos

tos